



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 126. Ludovicus XI. Carolesii Comitem capere molitus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.

A.C. 1464.

*Galeat.  
Martius in  
tom. rer.  
Hungar.  
cap. 13.*

fuiſſet reprehensus, nihilominus vitioſam conſuetudinem deponere parum ſollicitus erat; quapropter Matthias, cum calumnias ejusmodi, ac ſufſurationes ſummo odio infectaretur, Nuntium nihil tale cogitantem in plenum Principum conſeſſum prodire juſſit, palamque interrogavit, quinam eſſent illi, quos vitæ Regis inſidiari noſſet? Ibi cum Epiſcopus obmuteſceret, reſoluit Rex: niſi me cohiberet ſummi Pontificis reverentia, quam poenam promereantur calumniatores, oſtenderem tibi; ceterum ejusmodi Nuntios haud ultra tolerabo, qui in meo Regno ſemina diſſidiorum jacere, & Principi vitæ periculum creare attemptant: Regno igitur intra biduum excedas velim, ſi ſecus feceris, experieris, quantum ſcleratae ejusmodi artes Matthiæ Regi diſpliceant.

## §. CXXVI.

*Ludovicus XI. Caroleſii Comitem  
capere molitus.*

*Monſtrelet.  
vol. 3. fol. 103*

Priusquam conjuratio ſub ſpecioſo boni publici nomine in Galliis adornata in apertas erumperet flammas, edocebatur Ludovicus, quod Sabaudia Dux opera cujuſdam Romillæi uſus, cum Caroleſio foedus pepigiſſet, quapropter Rex vindictæ ardore accenſus Comitem prendere,

dere unice intentus erat. Verum oportuno consilio defuit occasio, Carolesio ferme semper Hollandiam incolente. Nihilominus rem tentaturus, Rubemprato Notho negotium dedit: parvam conscenderet navim, ac cum quadraginta vel quinquaginta juvenibus ad quævis audenda propensis in Hollandiam navigaret. Rubempratus jussis obtemperat, vixque appulsus, portum Gorichemum, ubi Comes diversabatur, ingreditur, opportunam præstolaturus occasionem, qua Carolesium captum in Franciam secum abduceret. Verum postquam Rubempratus in quadam popina a nonnullis cognitus esset, Carolesius rem edoctus, illum comprehendi, ac carceri mancipari jubet, ipsumque Burgundiæ Ducem, qui tum Hedinum agens cum Rege conferebat, de rei successu certiore reddidit. Commiserat Dux hunc emissarium capiendi provinciam cuidam nobili Burgundo nomine Olivario Marchiano, qui & ipse hujus facti memoriam ad posterum transmissit. Juvenes vero navigationis socii comperto Rubemprati fato, quantocius ad Ludovicum XI. revertebantur, qui finitimum consilii sui eventum cum ingenti dolore percepit. Burgundiæ Dux, cum Carolesii filii sui libertati insidias a Rege structas fuisse intelligeret, sibimetipsi metuere cæpit: quapropter nulla mora

Sæcul. XV.  
A.C. 1464.

Sæcul. XV. A. C. 1464. clam sese periculo subduxit; id vero eo vehementius Ludovici animum afflixit, quo firmitus ipsum quoque Ducem capere decreverat.

## §. CXXVII.

*Legati ad Burgundum a Rege missi.*

*Mem. de Comin. edit. Holland an. 1723. tom. I. cap. I.*

Ludovicus spe sua delusus omnium vituperio sese expositum esse tam iniquo ferebat animo, ut etiam illatam honori sui injuriam a Burgundiæ Duce sarciri postularet; quare Insulas, ubi morabatur Dux, Morvillerium Cancellarium suum, Augiensem Comitem, & Archiepiscopum Narbonensem misit, qui Rubempratum a Carolesio Comite fuisse captum quererentur. Morvillerius igitur verba facit, ac nomine Regis postulat, ut Rubemprato in libertatem asserto, læsus Regis honor repararetur, ac Olivarius Marchianus Ludovico traderetur, eoquod ille coram Duce Regem convitiis insectatus esset. Legatus tanta animi arrogantia, ac verborum vehementia perorabat, ut Carolesius Comes, qui præfens aderat, ad Narbonensem Archiepiscopum itidem Legatum conversus diceret: habe me Regis benevolentia enixe commendatum, eique nomine meo dicito, quod quidem acerbius in me per suum Cancellaria-